Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30288
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift

episcopum iussit ad amantium presidem ad primam pannoniam duci. ut pro contumacia que in legibus imperatorum exhibuit sententiam ultimam acciperet. Cumque deductus fuisset beatus Quirinus episcopus ad primam pannoniam et per singulas civitates vinctus catenis ad presidis amantii iudicium traheretur. siquidem ad ripam danubii circuibat singulas civitates amantius. Revertente enim eo de civitate scarabantiense in itinere offertur beatus episcopus. Quem preses ad urbem sarabiensem censuit repedare. Tunc egresse ad sanctum Quirinum episcopum christiane mulieres: cibum potumque obtulerunt. Quarum fidem intuens beatus episcopus dum offertur benedixit eis. et catene quibus ligate manus eius et pedes erant ceciderunt. Accepta quoque esca et revisis mulieribus hi qui eum custo-

B. Non. Junii.

diebant sabariam deduxerunt. Quem preses amantius post officium suum iussit offerri in theatrum. Qui cum oblatus fuisset amantius preses dixit. Requiro a te si ea que in sissia apud iudicem maximum gesta monstrantur vera sunt. Beatus Quirinus episcopus dixit. Apud sissiam verum deum confessus sum. ipsum semper colui. ipsum corde teneo. nec ab eo deo me qui unus et verus deus est homo poterit separare. Amantius preses dixit. Etatem tuam dolemus maculare verberibus. tuum sensum tuum optamus emundare sermonibus. et primum *[deleted]* prius se vite corrige. ut reliquo senectutis tue tempore iuxta precepta legum imperialium deos serviens perfruaris. Beatus Quirinus episcopus dixit. Quod de etate tu dubitas. quia fides invicta potest reddere omnibus suppliciis fortiorem. Nec tormentis frangitur mea confessio. nec presentium delectatione corrigitur. nec morte quamvis acerba mentis soliditas perturbatur. Amantius preses dixit. Quid instas? Ad mortem vadis. et romano imperio appares indevotus. et contra humanum morem vitam tibi eligis denegandam. Alii quidem dum mortem evadere cupiunt negando que gesserint tormenta deludunt. tu autem ducis vite tue dulcedinem odiosam. et festinus curris ad mortem imperatoribus contradicens. Propter quod adhuc te hortor ut vivas et vitam tuam redimas. et cultorem te legibus romanis exhibeas. Sanctus Quirinus episcopus dixit. Allocutio ista forte flectat animos pueriles. qui longioris vite vota suspirant. ego autem dictum a deo meo ut debeam ad illam vitam pervenire que post mortem mortis intercessione non clauditur. et ideo ad temporales huius vite terminos fidelis accelero. Non enim similis sum noxiorum. sic potestas tua loquitur. Illi autem negando vivere cupiunt. ego autem confitendo ad eternitatem vite pervenio. nec vestris legibus acquiesco. quia christi dei mei legitima que fidelibus predicavi custodio. Amantius preses dixit. Diu te ad obedientiam regalium preceptorum inclinare voluimus. si quoniam rigor mentis tue domari non potuerit: in exemplum omnibus christianis. ut formam tue mortis qui vivere cupiunt expavescant. deinde cum lapide molari dimergendus in gurgite precipitaberis. Cumque de ponte precipitatus in flumine diutissime supernataret. cum expectantibus collocutus ne suo terrerentur exemplo. orans ut mergeretur obtinuit. Tunc beatus Quirinus episcopus dixit. Gratias tibi ago domine ihesu christe quia hodie spectaculum factus sum et angelis et hominibus. et confessio mea tenetur apud deum. Martyrizatus est autem beatus Quirinus episcopus v. Nonas Junii.

Passio sancti Bonifacii et sociorum eius.

TEMPORIBUS Diocletiani et Maximiani imperatorum orta est seditio maxima. tempore persecutionis eorum adversus christianos. ut omnes dei cultores ad inclinandas cervices nefandissimorum ydolorum compellerentur. Qui etiam tyranni miserunt ex personis suis unam cum diversis apicibus suis iudicem atrocissimum mentis et astutum nimis. simplicium nomine in partibus tarsum civitatem que est metropolis cilicie provincie: ut ibidem omnes qui christum confiterentur utriusque sexus etatis per publicam audientiam eos interrogaret. ipsosque per diversa genera tormentorum maceratione per sue vesanie mentis quantocius inclinaret.

Illis quoque temporibus erat quedam in urbe roma mulier magna nomine aglabes filia quidem acacii. genere autem clari quondam proconsulis. Hec quoque candidatam ter egerat apud urbem romam prefecturam. habens sub se septuaginta et tres procuratores. qui curam agebant in possessiones eius. et unum maiorem qui erat super omnes nomine Bonifacium. qui etiam commiscebatur ei in peccatum. Erat autem ebriosus et adulter. et omnium amicus que odit dominus deus. Tria autem habebat rectitudinis opera. hospitalitatem. largitatem et misericordiam. quia si aliquando videret peregrinum aut de itinere venientem cum omni festinatione et alacritate adhortans in hospicium suum introire. et ministrabat eis. Noctibus autem circuibat plateas et vicos civitatis. tribuens eis que necessaria sunt.

Post multos vero annos gratia dei compungente aglabem convocavit puerum suum Bonifacium. et dicit ei. Frater Bonifaci. tu scis in quanta peccata convoluti sumus.